



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 34. Fœderatorum oscitantia in restaurandis Gallorum rebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI. Parisina urbe construxit, impendebat,
A.C. 1528. haud ultra memor, quod olim ob æ-
 qualem, ac superfluum pecuniarum pro-
 fusionem iniquissimo tempore factam de
 toto Mediolanensi Ducatu expulsus fue-
 rit. Ita brevi res Italiæ, quæ sub pri-
 mis belli auspiciis Gallis admodum pro-
 spere succedebant, tanta vicissitudine
 penitus inclinatæ erant, ut in tota fer-
 me hac Regione totaque Genuensi, &
 Mediolanensi ditione vix ulla urbs am-
 plius Regis dominio pareret.

§. XXXIV.

*Fœderatorum oscitantia in restauran-
dis Gallorum rebus.*

Equidem Fœderati deperditas Gallo-
 rum res restaurare potuissent, si op-
 portune usi fuissent Brunsvicensium mi-
 litum perfidia; Dux enim, ut Cæsareis
 pro tuendo Neapolis Regno suppetias
 ferret, nuper decem millia peditum,
 ac sexcentos Lancearios adduxerat, ast
 ex his non pauci sine missione a castris
 discesserant. Jamjam Brunsvicensis
 Dux usque ad Veronnensem ditionem
 processerat, eum tamen Antonius de
 Leva in Longobardia detinebat, spe fa-
 cta, se prædam, quam ex captis urbi-
 bus colligerent, inter ipsos partituros,
 hinc demum copias suas jungebant, ut
 Lau-

Laudam expugnarent; cum autem Hispani prope muri ruinas trium horarum pugnam sustinerent, tandem vero inde pedem referre compellerentur, Germani quoque milites ob æris militaris inopiam a signis delapsi sunt, quapropter Dux obsidionem solvere compulsus est. Eo tempore Franciscus Borbonius S. Pauli Comes adhucdum recensebat quingentos Cataphractos, totidemque levioris armaturæ equites, quibus Annebotus præerat; insuper Lorgius natu major Montgomerini Ducis filius præter quatuor Germanorum millia exercitum sex millium peditum Gallorum ducebat. Postquam igitur Brunsvicensis Dux secesserat, Comiti sancti Pauli liber aperiebatur aditus ad Neapolitanam urbem, ad quam etiam ante Lautreci obitum pervenire potuisset, nisi nominis sui gloriam longe magis augeri credidisset, si Mediolanensem Ducatum armis suis recuperaret, quapropter in Longobardia intempestive substitit, ac Venetorum & Sfortiæ copias suis militibus adjunxit, eo fine, ut Antonium de Leva inopinato opprimeret. Hic vero, quamvis pecuniarum inopia laboraret, ac nonnisi octo bellatorum millibus stipatus esset, nihilominus tamen sine suorum dispendio sese hostibus suis subduxit, eo quod fœderati, qui eum aggredi

Sæcul. XVI.

A.C 1528.

di

Sæcul. XVI. di debuissent, diu nimis hac de re deli-
 A.C. 1528. berarent, ac ante omnia Viglebanum,
 & Papiam recuperare vellent.

§. XXXV.

*Genua ab Auria pristinae libertati
 suae reddita.*

*Mem. du
 Bellay lib. 3.*

Cum igitur Foederati utriusque urbis
 obsidione frustra tempus tererent,
 Andreas Auria interim opportunum Ge-
 nuense flumen relegendi spacium nanci-
 scebatur, nihilque intentatum relinque-
 bat, ut Genuenses sibi devinciret; nec
 id ægre obtinuit; cum enim plurimos
 in urbe fautores atque amicos numera-
 ret, eos in odio, quod in suos rectores
 conceperant, sedulo firmabat, populo
 autem exponebat, quod eidem Galli
 nonnisi nudum Reipublicæ nomen relin-
 querent, sibi vero plenam Imperii au-
 ctoritatem arrogarent. Nobilibus au-
 tem ante oculos ponebat pristini regi-
 minis prærogativam, qua hucusque
 semper potiebantur. Denique cum ip-
 sum minime lateret, quod Galli præsi-
 diarii, quorum quartam partem pestilen-
 tia absumperat, in arce stationem age-
 rent, urbemque vix non milite destitu-
 tam relinquerent, hinc cum suis trire-
 mibus urbi appropinquavit, ac nonnisi
 suorum quingentos aut forte sexcentos
 ex-